

benevolentia & humanitatis invicem sibi præstare ut poterant, sic & debebant officia.

6. Nunc verò auferuntur bona, mutilantur corpora, obteritur dignitas, & quod maximè detestandum est, animis nostris labe ejusmodi inferuntur, quibus perniciosæ creatæ persuasiones & cum dedecore vivere & mori turpiter cogunt, ut iterum loquar cum Scaligero.

(f) d. Exercit. 33. Sect. 1.

7. Quid bella memorem? quæ primum contra jus illud primævum introducta. (g) hodie ab illis nobis moventur, qui de nostro omnium interitu, qui de totius orbis Christiani exitio cogitant, bello vastatur Germania, vexantur urbes, ardent tecta, vis infertur orphanis, trucidantur etiam, qui

— — *matris ab ubere pendent.*

Sic nempe quod Cræsus ad Cyrum (h) cum aliàs in pace filii patres, nunc in bello patres filios sepeliunt.

*Tu o magne DEVS vindex esto, daq;*

— — *Ultorem ulciscatur ut ultor.*

*Uterius tentare veta.*

(g) l. manumissiones 4. cum seq ff. de I. & Iur. (h) apud Herodotum in Clio. lib. 1. fol. 18.

8. Sed nolo nunc in hominis inhumanitatem declamare prolixius: Nolo gladio ἀντιμικτρῆζειν.

— — *horrent commota moveri.*

9. Remedia ergò potius & media, si quæ sunt in mundo ulla, quæramus & inquiramus, quibus tantis malis obviam quodammodo iri possit, & ista inter homines amicitia, & mutua caritas conservari & custodiri.

10. Illorum multa, imprimis Humanitas & beneficentia. Quarum utraque cives, imò homines peregrinos amicitia & concordia devincit, seramque ad posteritatem propagat & transmittit.